

scriptionis serendò, admoniti, magis in approbationem quam cassationem Præscriptionis consensissent, dum, quod quisque damnatum illius occasione in uno casu sustinet, in alio iterum eidem compenatur. Ergo Jure Naturæ videtur esse concessa. Ex his

66 Colliges I. Præscriptionem à Jure Naturæ

§. III.

Quidnam Præscriptio habeat ex Jure Civili?

67 Præscriptio, quam originaliter & Naturæ & Gentium Juris esse, conclusimus, habet suam determinationem ac formam ex Jure Civili & quæ & Canonico. Ita DD. num. 3. relati. Explicatur & probatur. Quamquam enim Præscriptio, ut videre hæcenus licuit, suapte indole sit nata ad transferendum dominium: quamquam præterea apud plerasque (moratoris saltem) Gentes civitate fuerit donata: attamen tempus illud, intra quod bonæ fidei possessio in vim domini convalescat, in individuo neque naturali ratione, neque universalis Gentium approbatione determinatum invenitur.

68 Quemadmodum enim uno in territorio & provincia homines reperias æqui rectique tenaciores, quam in territorio & provincia alia: quemadmodum insuper hoc vel illud jus, hæc vel illa res in hac regione & regno pluris æstimatur, quam in regno & regione ista: ita punctum illud, quò absoluta censetur Præscriptio, generali sanctione definiti non potuit, sed arbitrio boni viri committi debuit, qui, appensâ ad lanceam æquitatis personarum conditione, attentâ rerum mobilium & immobilium differentia, inspectis jurium & obligationum qualitatibus, examinatis recuperandi viribus ac mediis, decerneret, tantumne temporis effluerit, quod rationabili abdicationis & derelictionis conjecturæ sufficiat. Quia verò hæc ipsa boni viri determinatio materiam & fontem litium ac contentionum aperire potuit: hinc Jus Civile (quin & Canonicum) tam Romanorum quam aliarum Civitatum certos, uni-

partim ex rationabiliter præsumpta derelictione & abdicatione domini, partim ex motivo pacis ac tranquillitatis publicæ exordium accepisse. Secundò: eam rectè allegari inter populos illos, qui, contemptò vel ignoratò Gentium Jure, solò Naturæ lumine reguntur & diriguntur.

§. III. Quidnam Præscriptio habeat ex Jure Civili?

formes, ac fatales terminos præfixit, quibus unumquodque jus, res, & obligatio perimitur. Et hoc sensu Præscriptio determinationem ac formam hodiernam à Jure Civili (& Canonico) indepta est.

Quòd si ex supposito, non concessò, Præscriptio nec à Naturali nec Gentium Jure prima accepisset cunabula, potuisset Legislator seu Canonicus seu Civilis illam in commodum Reipublicæ stabilire. Est sententia hodie certa, postquam utroque Jure, Pontificio & Cæsareo, Præscriptio non tam recepta, quam comprobata fuit. Ratio potissima fundatur in alto & eminenti Principis dominio, vi cujus ex justa causa de bonis ac rebus civium absolutam disponendi potestatem sortitus est, in quantum necessitas & incolumitas Reipublicæ efflagitat.

Colliges ex tota, quem in §. 55. adornavimus, discursu: cum ferè modum, quò D. Braun. d. §. 2. n. 7. distinctionem dominiorum ad Jus Naturæ, Gentium, & Civile revocavit, circa Præscriptionis originem philosophandum esse. Potest enim revocari I. ad Jus Naturæ, in quantum ad transferendum dominium non tam accommodata quam necessaria est. II. ad Jus Gentium, quatenus inter omnes ferè Gentes ad mutuum pacem & quietam territoriorum possessionem invaluit. III. ad Jus Civile (& Canonicum etiam) quod in Orbe Ecclesiastico & Romano temporis & reliquarum conditionum determinationem, novamque planè formam adinvenit; uti per cap. seqq. palam fiet.

SECTIO II.

De Causa Finali Præscriptionis.

SUMMARIA.

73. Connexio rationis. 74. & seqq. Duplex Præscriptio finis, ultimus & subordinatus; hic que omnem negligentiam principalem non esse statuatam.

§. Unicus.

Enumerantur causa introductæ Præscriptionis.

73 Causas Præscriptionis, in priori sectione passim & propositas & probatas, quòd hic enumerem, non tam necessitas, quam justis ordinis concinnitas erat, ut nempe methodi causâ stringerem in compendium, quod latius paulò ante distuleram.

74 Distinguo autem cum Eckoldo ad h. s. §. 28.

duplicem finem; ultimum unum, subordinatum alterum. Finis ultimus Præscriptionis est salus publica: sicut enim omnis alia, ita præcipuè saluberrima Lex Præscriptionis communitatis emolumentum per se respicit. I. ff. de s. s. ibi: bono publico usucapio est introducta. Finis subordinatus principaliter est triplex:

triplex: primus, ut dominia rerum aliquando essent firma ac fixa: quod fieri non posset, si noviter in possessionem immissi, in perpetuum de avocanda re fluctuarent. Quòd etiam pertinet libertas commerciorum, quæ multum vacillaret, si contracturus cum alio, nullò unquam tempore de stabili rerum suarum possessione certus foret. Secundus, ut litibus aliquando esset finis d. l. 1. ff. de s. s. non parum enim Reipublicæ interest, controversias & lites consopiri arg. l. si cuius 13. §. 3. ff. de usufructu & l. omnes 12. Cod. de Judic. Tertius, ut acqueretur civium diligentia in rebus non tantum inquirendis, sed longè magis ad culturam redigendis, dum spe constantis ac perpetuæ detentionis intentiori haud dubie oculo, industriâ magis dexterâ proficiuntur agri, impinguntur prata, ædes excoluntur, exornanturque. Addo ego, causam non postremam fuisse præsumptam domini voluntatem de rei aut juris renuntiatione, per silentium tam profusi temporis factis dilucidè manifestatam: quod, præter hæcenus dicta, colligo tum ex pr. Inst. de s. s. ubi Imperator refert, olim ad Præscriptionem rei mobilis annum suffecisse unum, & ad rei immobilis usucapionem duos: eò quod putaverint antiqui, dominis sufficere præfata tempora ad inquirendas res suas: tum ex modo & methodo Juris positivi, tam exactè distinguenti ubique inter res mobiles & immobiles, inter absentes & presentes &c. ac pro rerum & personarum varietate tempus aut longius aut brevius determinantis, quantum scilicet æstimatione prudentum videbatur sufficere ad rationabilem de rei derelictione conjecturam efformandam.

Sunt aliqui, atque ex illis Hugo de Roy de eo quod justum est l. 3. t. 4. qui, ut refert Puffendorff et. c. 12. §. 6. Præscriptionem in pœnam negligentiam esse statutam pronuntiat; adeoque ex Lege Præscriptionis pœnalem constituit. Sed pauculis hisce antagonistis uti communior ita solidior opinio refragatur. Nam I. idem Puffendorff optimè advertit, exclusionem ab aliquo commodo, quod non nisi vigilantibus & rerum suarum satagentibus permissum est, propriè loquendò rationem pœnæ non habere: ut enim non nemo dixit, ulciscuntur ignavos mores sui, & facordibus sat pœna est, quòd ab omni honore exclusi, in obscuram vitam transigere coguntur. II. minùs rectè à quibusdam dicitur, eos in Republicam peccare, qui res suas usucapi patiuntur. Enimverò illi quidem peccant in Republicam, qui vel rebus suis abutuntur, vel ab aliis corrumpi, destrui, vel deteriorari sinunt: at res, quæ usucapitur, nec abusu nec corruptione aut destructione afficitur, quin potius à bonæ fidei possessore omni sollicitudine & industriâ aservatur. Ergo qui usucapionem permittunt, non peccant in Republicam, cujus nil refert, an Cajus an Titius fundum v. g. detineat, si modò delertus, incultus, aut neglectus non jaceat. III. quando occasione pœnæ à delinquente ad innocentem promanat aliqua utilitas, lætio quamvis in personam innocentis præcesserit, necesse est. Atqui in negotio Præscriptionis dimanat in præscribentem utilitas, absque hoc, quòd lætio in persona ipsius præcesserit. Ergo occasione pœnæ illa utilitas non resultat. Ergo Præscriptionis Lex ad constitutiones pœnales ineptè reducitur.

76

77

78

79

80

CAPUT III.

De Subjecto Præscriptionis.

Nomine Subjecti duplicem personam intelligo; videlicet personam, quæ præscribit, & personam, contra quam præscribitur: illa vocabulo technicò subjectum activum; hæc subjectum passivum salutatur. De utraque breves erimus, longiores in subsequente capite, futuri.

SECTIO I.

De Subjecto Præscriptionis activo.

SUMMARIA.

1. Præscribere potest, qui est capax juris. 2. & seqq. Eriam filiusfamilias, observatà peculiorum dignatione, præscribit. 7. & seq. Pupillus, infante major, etiam solus præscribit, si animò possidendi rem apprehenderit. 8. & seq. Infans non præscribit. 11. & seqq. Furiosus, quoad duravit furere, apprehendit auctoritate curatoris, præscribit. 15. Excommunicatus indi-

stinè præscribit. 16. Non præscribit, qui est incapax juris, uti. 17. & seq. Servus. 19. & seq. Religiosus; servatâ tamen distinctione inter jura. 22. Referantur Authores, qui negant & concedunt, quòd Præscriptio quis renuntiare possit. 23. & seq. Ratio concedenti. 25. & seq. Fundamentum neganti. 27. Non potest renuntiare Præscriptio temporis immemorialis. 28. Sed memorialis. §. I.

## §. I.

## Quam possint præscribere?

- 1** Generatim loquendò potest omnis ille præscribere, qui est capax juris realis vel personalis. Ratio est: quia Præscriptio est modus acquirendi vel jus vel liberationem à jure. Ergo qui juris realis vel personalis est capax, potest etiam præscribere.
- 2** In specie non tantum patrefamilias, sed etiam filiusfamilias, potest præscribere; dummodò observetur distinctio peculiorum. Prius assertum habetur in *l. sequitur 4. §. 1. ff. h. t. ibi: usufrucapere potest patrefamilias, filiusfamilias &c.* Posterius inde constat, quòd filiusfamilias equidem juris realis & personalis sit capax; atramen cum idem jus pro diversitate peculiorum sit diversum, diversam quoque Præscriptionem expostulet.
- 4** Cum igitur in peculo castrensi vel quasi obtineat plenum dominium, habeaturque fictio juris pro patrefamilias *l. 1. ff. de Cod. de Castrensi pecul. Auth. presbyteros & diaconos Cod. de Episcop. & Cleric. quæcunque ex causa hujus peculii ab eo, qui dominus non erat, acceperit, adinstar alterius patrifamilias præscribere* valet *d. l. 4. §. 1. h. t.* Similiter cum in peculo adventitio extraordinario & proprietate & usufructu gaudeat per *Nov. 117. cap. 1. §. un. gaudebit etiam beneficiò Præscriptionis, si rem alienam hoc in peculo numeravit.* Econtrà cum in peculo adventitio ordinario sola proprietat ad filium, usufructus autem ad patrem spectet *l. cum oportet 6. §. 5. Cod. de Bon. qua liberis &c. res, eò nomine acquiritas, sibi quoad proprietatem, patri quoad usufructum præscribit.* In peculo verò profecticio, uti proprietat & usufructus est patris, ita filius non sibi sed patris, cujus nomine possidet, præscribit *l. possessio 1. §. 5. ff. de A. vel A. P. Henricus Zoëli. comment. ff. ad h. t. n. 5.*
- 8** Pupillus, infante major, sive tutore auctore, sive solus, præscribere potest, si animò possidendi rem apprehenderit *d. l. sequitur 4. §. 2. ff. h. t.* Ratio desumpta ex *§. pupillus 9. Inst. de Instil. stipulas.* ubi pupillus absque tutoris autoritate alium sibi obligare posse dicitur: quia nempe compendio pupilli non videbatur cedere, ut melioratio quoque & lucrum manifestum arbitrio tutoris alligetur *l. obligari 9. ff. de Aucto. tut. ne, quod in favorem ipsius decretum erat, in dispidium vergeret contra cap. 61. de R. J. in 6. junctà l. non eò minus 14. Cod. de Procurator.* At in casu Præscriptionis pupillus potius alium sibi, saltem mediata, obligat, quam se alteri, facitque conditionem suam evidentem meliorem. Ergo &c. Quod ipsum à fortiore de minori concludendum est.
- 9** Dixi tamen I. *pupillus, infante major.* Nam si adhuc infans, sive minor septenniò sit, tunc ob defectum possessionis, quam sine tu-

tores non acquirunt *l. quævis pupillus 32. §. 2. ff. de A. vel A. P.* positivè præscribere nequit. Sicut è contrario rem, autoritate tutoris possessam, rectè præscribit. *D. Philippus Braun ad h. t. p. m. 187.*

**Dixi II. si animò possidendi rem apprehenderit:** ad Præscriptionem positivam quippe requiritur possessio, quæ non nisi animò & corpore initium capit *l. possideri 3. §. 1. ff. eod.* Unde aliud dicendum in Præscriptione privativa, in qua secundum dicta *cap. 1. num. 21. non egemus possessione.*

Furiosus non tantum illud præscribit, quod ante furorem possidere incepit; verum etiam quod, durante furore, curatore auctore, apprehendit. Prius membrum clarè decisum extat in *d. l. sequitur 4. §. 3. ff. h. t.* Quod, utilitate suaderet, receptum esse, asseritur in *l. iusto errore 44. §. pen. ff. eod. ne langnor animi etiam in bonis damnum afferat.*

**Membrum posterius est quidem controversum;** aut inter alios Defensores numerat cit. *D. Braun cit. loc. Zoëlium h. t. num. 8. Balbum 1. p. 3. princip. q. 9. num. 3.* Ratio est: quia, si furioso quidquam obstaret, ne posset præscribere, obstaret ignorantia possessionis, quam mediante curatore accipit. At hæc non obstat infanti, quò minus præscribat *l. possessio 1. §. 5. ff. de A. vel A. P.* quia interventu tutoris vel patris voluntas & animus infantis à Lege suppletur *l. quævis pupillus 32. §. 2. ff. eod.* Ergo nec obstat furioso, quem inter & infansem omnimoda ferè similitudo statuitur in *§. sed quod diximus 10. Inst. de Instil. stipul.*

Ad hæc si furiosus tunc usufrucapere potest, quando ipsius servo res est tradita per *l. si servo 28. ff. h. t.* cur usufrucapere prohibetur, quando curator rem apprehendit? Accedit, quòd eadem æquitatis ratio, quæ Legislatorem moverat, ut infantibus, qui per ætatem se ipsos regere non possunt, plenè per tutores profpexerit, movere debuerit, ut furiosis & (ex eodem capite) mente captis, qui rebus suis ob defectum animi præcæ nequeunt, per curatores prospiceret.

**Dico V. Excommunicatus sive majori sive minori excommunicatione potest præscribere.** Anton. Peregrinus de *Jure ffici. lib. 3. t. 11. num. 36.* Gilcken de *Præscript. part. 3. c. 6. num. 77.* Ratio est: quia excommunicatio non infert incapacitatem ad jus reale vel personale, ut post plurimos docuit Panormitanus noster *ad cap. veritatis 8. de Dolo & contum. num. 35. & seq.* cum pena medicinalis & spiritalis, qualis est excommunicatio, spiritalia duntaxat munera & munia, non etiam jura temporalia & profana, auferat. Ergo nec infert incapacitatem ad præscribendum.

## § II.

## §. II.

## Quam præscribere non possunt?

- 16** Regulam, in præced. *sect.* de subjecto Præscriptionis affirmativè conceptam, nunc inverto, quòd nempe qui non est capax juris realis vel personalis, non sit capax Præscriptionis. Ratio in propatulo est: quia Præscriptio est modus acquirendi juris vel realis vel personalis. Ergo qui acquirere non potest, Præscriptionis favorem non meretur. Unde
- 17** Deducitur I. servos, cum inhabiles sint, ad recipienda jura activa per *l. acquiruntur 10. §. 1. ff. de A. R. D. l. quod attinet 32. ff. de R. J. inhabiles esse ad præscribenda jura activa l. qui in servitute 118. ff. eod.* Esto utilitatis causà permillum sit, ut dominus, etiam ignorans, ex causa peculii per servum possideat, & usufrucipiat *l. labeo 8. ff. h. t. l. peregrè 44. §. 1. ff. de A. vel A. P.*
- 18** Dixi tamen: *ad præscribenda jura activa.* Sicut enim jus passivum seu obligatio naturalis in servum cadit, *l. servi 14. ff. de O. & A.* ita respectu illius obtinet Præscriptio.
- 19** Deducitur II. Religiosos, quos seu nexus Voti Paupertatis seu jus positivum in parti-

culari inhabiles ad jura activa temporalia reddidit, ex ratione conclusionis inhabiles esse ad similia jura præscribenda in persona particulari. Quæmodò verò nomine Monasterii, si bonorum stabilitum cæterò quin dominio gaudeat, Religiosus possidere potest; ita eodem etiam nomine præscribere. *D. Philippus Braun ad h. t. f. no. 189.*

**Dixi tamen notanter: jura activa:** sicut enim Religiosus vel ex delicto vel ex contractu obligari potest, & sic recipere jus passivum, seu obligationem saltem naturalem, veluti docet Clarissimus P. Paulus Mezger *p. m. Theol. Scholast. v. d. l. disp. 30. art. 6. n. 3.* sic nullus dubito, quin, suppositis supponendis, ab eadem obligatione per lapsum definiti temporis liberetur.

**Dixi præterea jura temporalia.** Nam quia jurium spiritualium, ut sunt jus eligendi, jus manendi in tali canobio &c. verum & propriè dictum dominium Religiosus competit, prout in *lib. 3. in tr. de Jure Propriet.* ostendere cupio: negare non auctim, quòd ejus generis jura præscribere possint.

## §. III.

## Possint quis Præscriptioni renuntiare?

- 22** In diversa placita hic Aa. distrahuntur. Affirmant Haunold de *J. & J. tr. 10. cap. 1. num. 205.* Gletle p. 3. *Pand. cap. 22. num. 4.* P. Wiestner ad *tit. de Præscript. n. 15.* Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n. 21.* Negant Bartolus, Ripa, Alexander, Tiraquellus, quos referunt & recipiunt Balbus de *Præscript. 5. part. 5. princ. q. 6. n. 2.* & D. Rath de *Usufrucap. assert. 7. lit. c. & d.*
- 23** Illorum ratio est: tum quòd Præscriptio non fuerit principaliter & immediatè introducta in favorem publicum sed privatum; ideoque sub renuntiationem cadat *l. pen. Cod. de Pact. tum quòd privatà conventio possit effici, ut actio, Præscriptio temporis alioquin peritura, officia assert. 7. lit. c. & d.*
- 24** Horum fundamentum est præcipuum, quòd principaliter & immediatè pro bono publico sit introducta Præscriptio, prout innuit *l. C. in l. 1. ff. h. t.* qui, dum boni publici meminit, non potuit id mediata duntaxat & secundario (quod nihil singulare foret) intelligere. Patetque hæc veritas ex toto *cap. 2. sect. 1.* ubi, quòd salus & utilitas publica Legem Præscriptionis (utique primario) extorserit, nec singulorum, sed universorum consensum attentatur, liberali calamo probatum est. Idcirco subintrat regula, Juri publico conventio privatorum renuntiare posse *l. jus publicum 38. ff. de Pact. l. nec ex pratorio 27. ff. de R. J.*

Ego sub aliqua distinctione quæstionem hanc dirimo. Refert nimirum, utrum aliqui renuntiare velint omni Præscriptioni, etiam immemoriali; vel tantum Præscriptioni certi temporis & memoriali. Si prius; sentio cum Authoribus negantibus: quia Præscriptio temporis immemorialis, ex ipso Nature Gentiumve Jure primitus in mundum invecita, non tam singulorum utilitatem per se primò respicit, quam totius orbis salutem, quæ non aliò, quàm Præscriptionis, remediò servari posse videtur. Consequenter extra commercium & potestatem privatorum versatur; nec conventio privata subverti potest.

Si posterius; sentio cum Authoribus affirmantibus: quia Præscriptio quoad determinationem certi & memorialis temporis à Lege humana non tam in favorem publicum quam privatum est statuta: & ideo voluntate partium conveniri potest, ut v. g. actio quædam non tantum sit juridicè perpetua, duretque 30. annis, sed etiam ultra tricennium ad 40. 50. & 60. annos extendatur *arg. l. sicut 3. Cod. de Præscript. 30. annor.* ubi Imperator illas solum actiones continuis 30. annis extinguere voluit, quæ perpetua videbantur; non item alias, quæ antiquis temporibus limitabantur; satis innuens, reliquis actionibus, quibus vel ex conventione, vel ex Legis autoritate certum ac determinatum tempus poscit præfixum, eodem tempore primum elapsò, præscribitur.

## SECTIO II.

## De Subiecto passivo Præscriptionis.

## SUMMARI A.

29. Præscriptio contra illos, qui alienius juris capaces sunt, procedit. 30. Et simul agere possunt. 31. & seq. Servata distinctione inter impedimentum Juris & facti. 33. & seq. Impedimentum Juris obstat Præscriptioni. 36. Non item impedimentum facti. 38. & seq. Proponitur difficultas, utrum in feudis & fidei commissis Præscriptio, contra proximiorum ex agnatis completa, necesse remotionibus in gradu? 42. Concluditur negativè. 43. & seq. Quia remotiores non valens agere de Jure. 49. & seq. Et quia ipsorum actio est obligata certa diei. 53. & seq. Et quia jus unius ab altero non pendet. 57. & seq. Explicatur Novella 159. cap. 3. 61. & seq. Resp. ad l. Stichio 36. ff. de Usu & usufr. leg. 64. & seq. Ostenditur, quod Præscriptio hac effectum non caret.

## §. I.

## Contra quos præscribere possimus?

29. Contra omnes illos præscribere possimus, qui juris activi capacitatem habent, ejusque juris nomine agere, non impediuntur. Rota Rom. in res. p. 4. to. 1. dec. 315. num. 8. Ratio primæ partis liquet ex dictis; qui enim præscribit, jus quoddam acquirere, aut à jure, quò alteri est devinctus, semet exonerare intendit. Ergo ex parte illius, contra quem præscribit, necessariò præquiritur jus activum, ne contra Philosophorum brocardium detur privatio sine habitu.

30. Ratio secundæ partis est: quia Præscriptionis causam non postremam cap. preced. sect. 2. num. 79. posui in præsumpta domini voluntate, rem aut jus abdicare cupientis. At de illo, qui agere non valet, prudenter nequeo præsumere, quòd rem aut jus abdicare cogitet. Ergo contra illum, qui agere non valet, præscribere quis non potest. Rota Rom. in recent. p. 5. tr. 1. dec. 315. n. 8. p. 7. dec. 21. num. 12. & seqq.

31. Oportet tamen pro majori conclusionis perspicuitate cum Panormitano ad cap. ex transmissa 10. h. t. num. 13. Brunemannio ad l. 1. §. 2. Cod. de Annual. Except. à num. 15. & aliis distinguere inter impedimentum juris, seu intrinsicum; & impedimentum facti, seu extrinsecum. Impedimentum Juris seu intrinsicum dicitur, quod provenit ab intrinseca inhabilitate ipsò Jure inhabite, ne quis agere hic & nunc valeat, tametsi vellet maximè.

32. Impedimentum facti, seu extrinsecum nuncupatur, quod non ab intrinseca inhabilitate, sed circumstantia quadam extrinseca procedit, ita ut, spectatò Jure, aliquis non prohibeatur agere, agere tamen ob distantiam v. g. morbum, defectum pecuniæ &c. de facto non possit.

66. Contra pupillos non currit Præscriptio. 67. & seq. Sine distinctione inter res mobiles & immobiles. 69. & seqq. Explanatur l. 4. §. 11. ff. h. t. 73. & seqq. Præscriptio Legalis, contra defunctum capta, contra pupillum currit, si compleatur, dum in utero lateret. 75. Secus, si non compleatur. 76. & seqq. Conventionalis contra jam natum quoque pupillum currit. 79. & seqq. Contra latentem in utero currit etiam, quando hereditas est adita à tutore. 81. Quando non est adita, currit, sed restitutione infirmatur. 82. Eadem fere de minoribus sunt dicenda. 83. Aliis contra ipsos non currit ordinaria. 84. Sed extraordinaria Præscriptio. 85. & seqq. Innominata quoque non currit in casibus, in quibus olim restitutio erat concessa. 88. De mente captis, sicuti de pupillis, est judicandum.

Impedimentum primæ classis impedit Præscriptionem, uti constat l. in filiofamilias, qui totò tempore, quò patris potestati subjacet, agere nequit quoad bona adventitia ordinaria, in quibus pater, tanquam legalis usufructuarius, administrationem omnem exercet, intendendò & suscipiendò actiones l. res quæ ex matris 1. Cod. de Bon. matern. l. cum oportet 6. §. 2. Cod. de Bon. quæ liberis &c. proindeque totò illò tempore Præscriptionem non reformidat l. super annuali 1. §. 2. Cod. de Annual. Except. quis enim, ait ibidem Imperator, incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod, est maluerint, minimè adimplere, Legè obviante, valent?

34. Constat II. in uxore quoad bona dotalia: siquidem torundem nomine ob competentem sibi usufructum solus maritus & agit, & convenitur: ut ad eò, stante Matrimonio, nec major nec minor Præscriptio decennii contra uxorem permitatur; nisi, durante Matrimonio, maritus ad incitias delabatur: tunc enim uxor, uti agere potest, ita Præscriptionem adversum se tolerare debet per textum disertum in l. in rebus dotalibus 30. ff. de Jure Dot. & ibi Brun. num. 13. & seqq. Constat III. In creditore, qui habet jus exigendi debitum, certæ conditioni vel diei adstrictum: huic quippe ante conditionis eventum aut diei existentiam, cum experiri prohibeatur, Præscriptio non præjudicat l. cum nostris in juris 7. §. 4. Cod. de Præscr. 30. vel 40. anno & ibi cit. Brunemannio num. 14. & 15.

36. Impedimentum secundæ classis non impedit Præscriptionem, ut colligitur ex rot. tit. ff. & Cod. Ex quibus caus. major ubi omnibus, qui Reipublicæ gratia absunt, vel alias legitimæ ex causa, à Prætoribus cogantur, commode non possunt adire Judicem, conceditur restitutio contra

contra Præscriptionem. Ex quo rectissime inferitur, Præscriptionem fuisse validam, & de Jure

probatam: quia per restitutionem rescindi, aut retractari non potest, quòd ante non valuit.

## §. II.

## Possitne contra illos etiam præscribi, quibus agendi jus non immediate, sed mediatè compehit?

37. Regulam dedi in priore §. contra impeditos agere ob impedimentum Juris, Præscriptionem non currere. In præsentì regulæ vis penitius exploranda est, an & illos includat, qui agere quidem possunt de Jure, non tamen immediate, sed mediatè? Ut clarior sim,

38. Præmitto I. quando in cap. 2. num. 56. respondi, Præscriptionem, contra parentes completam, liberis quoque, nondum progenitis, obesse, me secundum Juris Naturalis, imò etiam Civilis Romani, placita respondi. Nam quia, inspectò etiam Jure Civili, liberi verum & strictum jus ad bona parentum superstitum non habent, sed improprium tantum & incertum valde, ut potest quod mediante exhæredatione infirmari potest, & non nisi in legitima adimpleri debet: actio non suppetit, quâ Præscriptionem, contra parentes perfectam, infringere valeant.

39. Præmitto II. in pluribus Regnis & Provinciis, præsertim in Imperio Romano-Germanico tum universalibus Legibus, tum generali & speciali consuetudine aut statuto receptum esse, ut bona quædam ad integram familiam quoad proprietatem pertineant, relicta interim uni possessione, ademptâ tamen facultate alienandi bona, nisi familia consentiat.

40. Quòd si, prohibitione non obstante, possessor ad alienationem deveniat, cullibet de familia jus competit, bona alienata repetendi; servatò nihilominus ordine, ut unus alteri, senior seniori, proximior in gradu remotior præferatur. Sic in bonis, fideicommissò obnoxii; sic in feudibus accidere solet.

41. Præmitto III. quæstionem nunc enasci, an, si possessor invitâ familiâ alienationem attentavit, proximior autem per tempus, à Legge statutum, revocare intermisit, sicque exsupposita interim, in seq. cap. probanda sententia, Præscriptio contra illum processit, hæc etiam remotioribus agnatis obstaculum pariat, quò minus alienationem impugnare valeant?

42. Mea sententia est, quòd Præscriptio, in prænominatis bonis contra proximum agnatum completa, reliquis non officiat. Ita quoad fidei commissum Knippschild de Fidei commissi cap. 12. num. 91. & seqq. Chlingensperger ad h. t. g. 20. Rath. cap. 4. assert. 13. referens pro hac opinione responsum Facultatis Juridicæ Ingolstadiensis. Ita quoad feuda Fachinæus lib. 7. Contr. c. 12. Struv. Synag. Jur. feud. cap. 13. aphor. 18. num. 4. P. Engel ad tit. de feud. num. 39. Quoad utrumque Hieronymus Rocca select. disp. 10. 1.

cap. 7. num. 1. ubi plurimos allegat, & sententiam hanc dicit receptissimam; & n. 6. Card. de Luca de Jure. disc. 21. num. 33. & seqq.

Ratio est I. quia non valenti agere ob impedimentum Juris, non currit Præscriptio. Sed, dum Præscriptio contra proximiorum ex agnatis in bonis vincularis compleatur, remotiores in gradu agere nequeunt ob impedimentum Juris: nam in feudis remotior agnatus non habet jus proximum, quàm diu proximior in vivis est per textum 2. feud. tit. 39. & tit. 26. §. 5. P. Titius ubi: Titius, filios masculos non habens, partem suam feudi Sejo, partem ejusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius, proximior agnatus, mortuò demum Titio, partem illius feudi nullò daci pretiò recuperare potest.

Similiter in rebus, fidei commissò gravatis, juxta viridem hodierni sæculi praxin remotior in gradu non admittitur ad successorem, quàm diu proximior præcedit arg. l. peto Lucii 69. §. 3. ff. de Leg. 2. Ergo Præscriptio contra agnatum propinquiorè absoluta, nõ procedit. Neque respondeas I. regulam illam, quòd non valenti agere non currat Præscriptio, perdere vim suam in Præscriptione longissimi temporis.

Contra enim est: quia hæc regula vim habet in Præscriptione tricennaria, centenaria, & immemorialis, prout judicavit Rota Rom. in recent. p. 16. dec. 291. num. 12. & seqq. sive enim Jus Naturæ, sive Jus positivum spectemus, non videtur esse conveniens, ut, qui rem aliquam, etiam si vellet, ab ipso Jure prohibetur petere, illius dominio privetur, tantum id eò, quòd rei petitionem omiserit, velut in hoc puncto notavit Rota in recent. p. 19. to. 1. dec. 366. num. 3. & 4.

Neque respondeas II. agnatis remotioribus aliud suppeteret remedium, nempe facultatem, interpositâ protestatione Præscriptionem interruptendi.

Contra siquidem est: quia protestatio extrajudicialis in meis principiis non habet virtutem interruptendi Præscriptionem, præsertim si fiat ab eò, qui jus agendi efficax non obtinet.

Ratio est II. quia Præscriptio in rebus & juribus, conditioni vel diei adstrictis, ante conditionis vel diei existentiam non sumitur exordium l. cum nostris in 7. §. 4. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor. At jus agnatorum in feudo aut fideicommissò est diei aut conditioni adstrictum, nempe, si ultimus & proximior agnatus deceaserit arg. l. si cum hæres 4. in pr. ff. Quando dies leg. Ergo ante diem Præscriptio non sumit exordium.

Nec solum argumentum esse, tibi persuasas

suadeas velim, respondendū, quod jus agendi in fideicommissis vel feudo statim ab initio competat toti familiae; licet exactio non cuilibet, sed uni duntaxat, indulgeatur.

51 Enimverō etiam creditor in diem statim ab initio habet jus agendi, utpote cum actio quantocumque nascatur, ubi conventio est perfecta: sed, quia exactio non habet, sive, quod idem est, actio in actu secundo est inefficax: idēo juxta *cit. l. cum nullissimi §. 4. ante adventum diei non incipit currere Præscriptio.*

52 Pariter itaque, tamen sponte concedatur, actionem in feudo vel fideicommissio toti familiae; exactioem econtra tantum uni competere: nihilominus, antequam singuli possint exigere, & actionem cum effectu movere, Præscriptio suum cursum contra singulos non incipit.

53 Ratio est III. quia, ut notat de feudis Struvius, & de fideicommissis Knippshildt *d. cap. 12. num. 94.* agnati non habent jus ad feudum vel fideicommissum ab agnato, proximo possessore, sed à primo feudi acquirentore, vel fideicommissi institutore, qui totam familiam eodē modo & ordine vocavit, ut quilibet proximior vel senior habeat rei feudalis aut fideicommissariae dominium usque ad mortem, postea verò alius succedat non in jus ultimi possessoris (quod cum morte illius extinctum erat) sed in jus primi acquirentis aut instituentis, quod penes familiam semper intelligitur durare *d. l. peto lucii §. 3. ff. de Leg. 2.* Eto igitur jus unius temporis diurnitate peremptum sit, jus tamen reliquorum sartum & saluum manet.

54 Si dicas: eodē ipso, quod unius ex agnatis jus perimatur, periri quoque jus alterius: nec cateroquin, cum ingenti Reipublicæ detrimento, Præscriptionem in feudis & fideicommissis aut omnino negemus, aut frustraneam & inefficacem admittamus.

55 Contra est: quia, ubi diversa sunt jura, quorum unum non dependet necessario ab altero, unō perempto, non perimitur alterum. Ergo, cum jura agnatorum in feudo vel fideicommissis sint diversa, nec unum ab altero necessario pendeat, jure unius, agere valentis, extincto, jus ceterorum, & agere non valentium, intactum subsistit.

56 Habetque Præscriptio nihilominus effectum respectu illius, contra quem ob potestatem agendi currere potuit; non autem respectu aliorum, contra quos ob defectum potestatis agendi nunquam est coepta. Et ita resolvit Rota Rom. in una Ausimanna fideicommissi in recent. p. 8. dec. 28. num. 38. & seqq. & in una Florentina affrancationis p. 5. dec. 558. n. 7. & seqq. & in una Bonna. Emphyt. p. 15. dec. 143. num. 13. & in una Romana Vinea p. 18. to. 1. dec. 51. n. 2. & 3. ac tot Præscriptioes, quot ex agnatis personarum superant, requirit.

57 Objicies I. cum deficiantibus, quorum catalogum exhibet Hieronymus Rocca ubi supra num. 3. Possunt agnati posteris, nondum existentibus, fideicommissum alienan-

dō præjudicare per textum in *Nov. 159. cap. 3. in verb. sibi pariter & Successoribus &c.* Ergo etiam præjudicare valent, Præscriptionem admittendō *arg. l. alienationis 28. ff. de V. S.*

Resp. I. in feudis contrarium expresse statutum esse in *supra cit. 2. feud. tit. 26. §. 5. v. citius*, ubi in casu, quod feudum ab uno ex agnatis est alienatum, proximioribus non præjudicatur, sed ab iis feudum, sic alienatum, post mortem demum alienantis, nullō datō pretiō, recuperari potest. Resp. II. in fideicommissio quoque, familia relicto, per *cit. l. peto lucii §. 3. ff. de Legat. 2.* idem dicendum; non obstante *cit. Nov. cap. 3.* utpote cum ibidem aut nullum fuerit tale fideicommissum, aut valde dubium, aut cum agnatorum consensu alienatum, ut constat ex *d. cap. 3. & cap. 1. ejusdem Nov.* Resp. III.

60 facilius præjudicari posteris, si descendentes & non-nati sint, quam aliis, ex latere venientibus & viventibus: præterquam enim quod non-entis nullæ sint qualitates & jura; insuper ex *tit. 24. §. 2. v. denique tit. 37. in princip. feud. 2.* patulum est, patrem in feudis liberis, etiam jam natis, delinquendō præjudicare posse: cur non igitur & alienandō?

Objicies II. textum in *l. Nicho 36. ff. de Usu & Usufr. leg.* ubi permittitur ulucapio fideicommissi contra nepotes legatarii, ignorantem qualitem fideicommissariam, & quamdiu usufructuarius vivebat, agere non valentes.

Resp. hunc textum extra oleas vagari. Casus enim est iste. Stichus manumisso ulufructus fundi legatus erat; simulque fidei heredum commissum, ut post mortem Stichi Lucio Titio suadum darent. At Stichus in suo testamento hunc eundem fundum quoad proprietatem legavit suis nepotibus, quibus etiam ab illius heredibus est traditus. *Quæsitum est: (sunt verba Jcti) cum nepotes legatarii Stichi ignoraverint conditionem supra scripti fundi, priore testamento datam, & plusquam ita tempo tempore possederint, an eum fundum sibi acquisierint? Respondit, secundum ea, qua proponerentur, legatarios sibi acquisivisse.* Ecce! nullum hic verbulum de fideicommissio familie; quin imò, dum fundus erat Lucio Titio post mortem Stichi restituendus, hoc accidit absque gravamine vel onere, adeo ut plena proprietatem ad Lucium Titium spectaret.

Objicies III. vel ille, qui feudum & fideicommissum præscribit contra proximiorē ex agnatis, acquirit dominium vel non? Si primum; non amplius eidem potest auferri *l. id quod nostrum 11. ff. de R. J.* Si secundum; Præscriptio nequidem adversus proximiorē completa potest appellari.

Resp. quod præscripserit contra proximiorē quoad ipsummet actuale, ipsi competens; quod tamen, cum revocabile sit propter aliorum agnatorum dominium quasi habituale, rursus ab illis auferri potest, ubi post mortem proximioris dominium illud habituale respectu aliorum sit actuale.

§. III.

## Utrum &amp; qualiter contra pupillos &amp; minores præscribi valeat?

66 Contra pupillos nulla currit Præscriptio, si ducat initium ex illorum persona. Balbus de Præscript. p. 6. princip. n. 29. Rath de Usucap. assert. 14. Textus præclarus in *l. si quis 3. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* ubi fatali Præscriptionis extraordinariæ periodo omnes prorsus res, personæ, & actiones subjiciuntur, solâ pupillari astate ex Imperatoria benignitate exceptâ. Rota Rom. in recent. p. 7. dec. 61.

67 num. 13. Nec distinguitur, uti Cujacius *lib. 24. observ. 14.* distinguendum existimat, inter res mobiles & immobiles, sed, quemadmodum Præscriptio extraordinariâ res & actiones omnes indistincte dicuntur concludi; ita indistincte res pupillares ab illa Præscriptioe excipiuntur.

68 Et sanè, si Præscriptio etiam extraordinariâ respectu pupilli exterminetur, quomodo ordinariâ trium annorum in rebus mobilibus inveniet domicilium?

69 Præsidium distinctionis suæ Cujacius in *l. sequitur 4. §. 11. h. r.* collocat: videtur siquidem Jctus ibidem supponere, rem pupilli mobilem usucapi posse, dum in casu, quod res pupillo (utique mobiles, quæ sola objectum furti constituit) furripita fuit, ad purgationem vitii sufficere cenet, si tutor ejus sciat, rediisse eam in domum pupilli.

70 Sed parum hoc præsidium efficit Cujacius; nam in *d. textu* non dicitur, rem pupilli mobilem absolute præscribi posse, sed determinatur modus, quôres, pupillo furripita, à furti mundetur vitio.

71 Potest autem res pupillo esse furripita, esto res pupilli non sit, sed aliena, bona tamen fide ab eo possessa; eamque, si vel à tutore ex auctione, vel ab alio fuerit empta, Præscriptioni subjacere, dubitare non sinunt textus in *l. pro emptore 2. §. 8. & 15. ff. pro Emptore*, & ratio, quod res non-pupillaris pupillarium rerum favore non polleat. Brunenem. ad *d. l. n. 10.*

72 Rem itaque alienam, si pupillo auferatur, nec ipse fur, nec alius præscribit, priusquam in potestatem pupilli redierit, qui, tanquam bonæ fidei possessor in hoc, sicut in multis casibus aliis, pro domino habetur. Rath *d. loc. in fine.*

73 Dixi notanter: si initium ducat ex ipsorum persona. Si enim adversus defunctum fuerit coepta usucapio, ad stabilendam discordantiam inter se Legum concordiam, distinguendum puto inter Præscriptionem Legalem & conventionalem. Circa Legalem ulterius dispiciendum, possint compleri, dum pupillus adhuc in utero existit, an non. Si prius; continuatur Præscriptio, nec interrompitur: quia non tam contra pupillum, quam ipsummet defunctum compleri videtur *l. etiam ei 45. ff. de Minor.* Licet alias posthumus, quando de ipsius commodo agitur, pro nato habeatur *l. qui in utero 7. ff. de Statu hom.* noluerunt fidei quædam Jura ob incertum

posthumi nascituri eventum Præscriptionem ipsò factò impedire, sed beneficium restitutionis sufficere, crediturur. Rath *cit. loc. lit. d.* Si posterius; interrompitur: quia, si pergeret, procederet contra pupillum, quod Jura non ferunt. D. Franz *h. r. n. 24. circa fin.*

76 Circa Præscriptionem conventionalem indistincte concludendum, quod cursum immotò pede adversus pupillum persequatur, & quidem sine spe restitutionis, si vitalem aulam jam aspexerit. Struyck in *supra cit. disp. 1. ad l. Emilii 38. ff. de Minorib. cap. 5. num. 5. & seqq. Dissert. Francofurt. Vol. 1. Balbus 1. parti. 6. princip. num. 30.* Gilcken de Præscript. parti. 3. cap. 1. num. 25. ex Oddone Sfortia referens, hanc sententiam communem esse, & in judicando ab ea non facile recedendum. Rationem insinuat Paulus, sub tempore haud infimi sublevis Jctus in *d. l. Emilii*: quia non pupillus, sed defunctus conventionem seu contractum celebravit. Sicut igitur hæres non potest impugnare factum & contractum defuncti, & consequenter nec lapsum temporis, contractui præfinitum, revocare, vel invalidare, per textum in *l. cum à matre 14. Cod. de R. V. l. quod ipse 143. ff. de R. J.* ita nec pupillus, si contra defunctum, cui succedit, ex contractu proprio currere incipit Præscriptio, poterit contractum impugnare, vel lapsum temporis revocare.

78 Concessit equidem Imperator in *d. l. Emilii* restitutionem: verum, ut solertissime examinavit Stryckius *d. disp. cap. 6. num. 15. 16. & 17.* non attentâ stricti Juris ratione, sed Jure potestatis absolutæ usurpatâ.

79 Quodsi in utero adhuc existat pupillus, aliam distinctionem adornat Stryckius *cit. cap. 5. num. 11.* Vel enim hæreditas adita, est ab eo, qui delitescit in utero, vel non, & sic adhuc est jacens. Illò casu, si adita sit (quod fieri potest per tutorem, posthumo datum juxta §. cum autem 4. Institut. de Tutelis) Præscriptio conventionalis currit indiscriminatè contra nondum natum, absque restitutionis auxilio. Etenim hoc casu pro nato habetur nascendus, non quidem propter Præscriptionem conventionalem principaliter, sed propter conditionem hæreditatis: hæc enim aliis ei deferri non potest *d. l. qui in utero 7. ff. de Statu hom.* Et sic quia tutor contractum defuncti implere potest, obtinet decisiō *d. l. Emilii*

81 Hòc casu, si hæreditas non adita, sed jacens sit, currit quidem Præscriptio conventionalis, ut est textus expressus in *l. si pradio 15. ff. de Adit. in diem & in l. captam 40. ff. h. r.* restituito tamen non est neganda: cum à nemine pactum defuncti possit impleri, aut interrompi Præscriptio *arg. d. l. etiam 45. pr. ff. de Minorib.* Balbus *cit. loc. num. 50.*

82 Quæ nunc de pupillis disserui à num. 66. A 3 propor-